



Q 24

Handwritten text in Gothic script, likely a library stamp or inventory number, partially obscured by the binding.





EXERCITATIO POLITICA  
*De*  
**Ratione Status,**

Definitionem ejus  
à Scipione Amirato propositam  
expendens:

*De cujus Thesis*

Indultu Ampl. Fac. Philosophicæ

P R Æ S I D E

**M. JACOBO THOMASIO,**

Oratorix Prof. Publ.

*respondebit publicè*

**HEYNO FRIDERICUS à BRÖSIGKE,**

Eq. Misnicus.

*d. 12. Octobr. Anno 1665.*

---

L I P S I Æ

Typis Colerianis.



PERILLUSTRI  
AC GENEROSISSIMO DOMINO,  
DOMINO

**CAROLO,**  
LIBERO BARONI  
A FRIESEN,

DYNASTÆ IN RÖTHAU, KOTTA,  
ET GESCHWITZ,

SERENISSIMI AC POTENTISS.

ELECTORIS SAXONIÆ

CONSILIARIO INTIMO,

COMITI,

ET CONSILII ECCLESIASTICI

PRÆSIDI,

ETC.

DOMINO SUO

GRATIOSISSIMO,



Non pro fastigio  
VIR TUTUM HEROICARUM,

sed pro copiola

rerum praesentium

PRÆSENTIAM EJUS

in hoc oppido,

summè necessariis rebus necessariam

maximis negotiis parem,

(*Quam*

*Ecclesiae verae Christianae Salutarem*

*Autor Salutis,*

*Sacro Imperio Romano Pacificam*

*Princeps Pacis,*

*Inchyto Electoratu Saxonico Gloriosam*

*Rex Glorie,*

*Toti Lipsiae Honorificam*

*Supremus Arbitr Honoris*

*esse porro jubeat*

DEUS TER OPTIMUS TER MAXIMUS!)  
venerati,

quicquid hoc est chartacei muneris

facrum esse cupiunt

IPSIUS PERILLUSTRI GENEROSITATI

ad perpetua obstricti servitia

M. Jacobus Thomasius,

&

Heyno Fridericus à Brösigke.



## Juvante Triuno!

I.

**U**T aliud est *artem*, aliud scribere *de Arte*: sic aliud *Rationem Statūs*, (utemur enim sanè vocabulo, cui satis jam auctoritatis latinè quoque scriptitantibus dedit consuetudo) aliud *de Ratione statūs* explicare. Illud faciunt, qui Regulas tradunt: hoc qui definitionem indagant. Utrumque septem libris præstare conatus est, ut alios omittam, Ludovicus Septalius. Primo enim definitionem, sex reliquis regulas est complexus. Nobis quoniam in proposito erat brevitatis, placuit in altero tantum ponere aliquid operæ. Illud elegimus, in quo si errare, uti sumus homines, contingeret, Scholæ nos admonerent potius, quam Aulæ. Neque verò, si, quæ jam in hac Urbe tractantur, negotia respicimus, decebat nos illud agere, quod præsentem Hannibalem sciremus inepto consilio Phormionem olim tentasse.

II. Omnes omnium *definitiones* lustrare, fuisset hoc etiam voluminis magis, quam Disputatiunculæ. Potuit ergo vel unica sufficere nobis. Ea SCIPIONIS erit AMIRATI, minimè profectò sterilis futura, cum tot obelis confossam ab aliis eruditissimis passim videamus.

III. Dedit illi politicissimus ac tersissimus, Hermannii Latheri elogio (a), scriptor Italicus, sed quem nobis latinam tantum veste donatum (b) intueri contigit, integrum discursum (c) primum libri XII. Dissertationum Politicarum in Tacitum, eam, ut apparet, maximè

(a) de censu lib. III. c. 13. n. 30. p. 714. (b) ed. Francof. A. 1618. (c) à p. 323. usque ad. 343. inclusive.



ximè ratione motus, quòd perspiceret, *quid proprie ac verè hoc nomen, jus regnativum, denotaret, plerumq; non satis intelligi* (d); quæ Zuccoli etiam & Septalii (e) querela est.

IV. Liceat autem nobis sententiam Amirati in puncta certa contrahere. Nisi enim fallimur, hoc vult Autor doctissimus: (r), idem dici, sive *Rationem Statûs* q vis appellet, sive *regnandi sapientiam*, sive *jus dominationis* (f), aut *jus regnativum* (g), (2), id autem quale sit, comparatione intelligi: jus enim naturale à civili, & hoc à bellico, bellicum à jure gentium restringi (h) (3) consimiliter ergò juri civil seu communi detrahi à jure dominationis, boni videlicet majoris causâ: ut illud adeò definiri queat, *juris civilis propter majorem & magis universalem finem derogatio* (i): vel, *privilegium imperanti concessum in id, ut juri communi ad sui tutelam contra majestatis reos derogare possit* (k). [4] neq; tamen prorsus infrenem ejus esse licentiam, cum cedat juri divino, seu religioni (l), ac prætereà honestati (m).

V. Porrò de diversis juribus hæc effata exemplis quoq; confirmare nititur Amiratus. Enimverò cum *jure natura* omnia forent communia, proprietates rerum à *civili jure* fuisse introductas (n); huic juri vicissim *se bellicum* opposuisse, quippe, quo suum eripere

A 3

hosti

(d) verba ejus sunt p. 324. (e) Zuccol. de Rat. Stat. p. 2. Septal. p. 1. Utroq; utimur ex versione Dn. Garmerisii. (f) p. 324. (g) p. 327. (h) p. 324. 325. 326. (i) p. 327 ubi publici beneficii seu boni & p. 338. ubi utilitatis plurimum est mentio. (k) p. 340. (l) p. 330. (m) p. 335. (n) p. 325.



hosti liceat (o); jus porrò belli à *jure gentiũ*, ut quo Legati sint inviolabiles, aliquam esse restrictionem passum (p); cæterum quòd civilia seu ordinaria jura, subsint quoq; *juri regnandi*, multis id exemplis posse doceri: hoc enim jure à Claudio Imperatore filiam fratris ductam fuisse uxorem, à Tiberio Agrippinæ denegatam viduitatis mutandæ licentiam (q), à Romulo constitutum Asylum, à Romanis Sabinas raptas (r), ab Augusto consilium ininitum coercendi intra terminos imperii, & Ægyptum à Senatoriâ gubernatione exceptam (s), quæ omnia patriis alioqvi legibus aut consuetudinibus adversa fuerint; deniq; , quòd jus regnandi *religionis ac fidei sacris* cedat, Romanos intellexisse, cum negarent licere sacrorum causâ Flamini Diali ad provinciam gubernandam Italiâ egredi (t), cum item Campanis amici adversum socios Samnites fieri nollent (u); intellexisse Athenienses, cum Themistoclis consilium, quòd honestati repugnare judicaretur, repudiarent (x).

VI. Sunt in Amirati discursu plura fateor: sed materiam censoribus *Friderico Bonaventura*, duobus *Ludovicis Zuccolo & Septalio*, *Arnoldo* itẽ *Clapmario* ea ferè præbuerunt, quæ excerptimus. Et Bonaventura quidem ac duo Ludovici apertos censores agunt; Clapmarius, (y) dum inventis Amirati, sed leviter immutatis, tacito licet ejus nomine utitur, esse, quod in

eo

(o) ibid. (p) p. 326. (q) p. 327. (r) p. 328. (s) p. 329.  
(t) p. 332. (u) p. 335. (x) p. 336. (y) lib. IV. de Arc.  
Rerump. c. i. sub fin. Vide infra thes. X.



eo sibi displiceret, satis docuit mutando. (z) Videbimus ordine, quid singuli desiderent præcipuè : sed, quod in Amirato jam fecimus, ipsorum sententiæ magis, quam dictionis aut methodi, quæ satis alicubi perplexa est, observantes, ac brevitatis, quoad causa permittet, studiosi.

(z) Possis hoc imputare civilitati, parcere volentis ejus nomini, quem saltem aliquâ ex parte castigaret. Alibi enim, ubi nihil mutat ( ut lib. II. c. 7. & 13. III. 7 & 16. IV. 21. V. 4. VI. 16. ) nominatim citat Amiratam, nec aliter ferè, nisi cum expressâ laude. Verùm, quia negari non potest, iis, quæ per priora novem capita libri IV. Arcanorum tractantur à Clapmario, discursum Amirati, quem hîc in manibus habemus, veluti pro primis lineamentis fuisse, quæ suis postea coloribus impleret, atque emblematis diduceret Clapmarius : nullam in his omnibus capitibus, ejus, per quem profecisset, mentionem injecisse, fuit illius culpæ suspicionem subire, cujus ipsum insimulat Waremundus de Ehrenberg ( h. e. Eberhardus à Weihe, ) c. 4. de Regni subsid. n. 4. & c. 6. n. 26. & c. 7. n. 31. p. m. 50. 96. 110. ubi sua sibi ab Arnol- do subtracta conqueritur. Nisi quis dicat, typographi culpâ factum fuisse, ut apud Clapm. lib. IV. c. 2. pro Amirato legeretur *Alciatus* : cujus nomen tamen à Boxhornio quoque p. 104. explanat. in Polit. retineri hâc in causâ video. Verba Clapmarii sunt : *Quare sic definitio, ( jus Dominationis ) esse supremum quoddam jus sive privilegium bono publico introductum contra jus commune sive ordinarium, sed tamen à lege divinâ non alienum: atque est jus veluti legitime Tyrannidis: sive, ut Alciat. definit est juris communis quedam relaxatio, sive correctio, quod privilegium dici potest.* Horum utique similia jam tenemus apud Amiratam : in operibus Alciati, quoniam nullus est locus certus signatus, quærant quibus vacat.



VII. *Fridericus Bonaventura* (a) (1) distinguit inter Rationem Statûs rectam & pravam, quarum hæc in imperantis, illa in commodum tendat civium commune. Hinc (2.) reprehendit Amiratam, quòd cum solam *rectam* definire cogitavisset, vocem definiti non antè distinxerit: (3.) in definitionibus quibusdam (b) adhibuerit vocabula in utrumque significatum ambigua, qualia sunt bonum *publicum*, vel *multorum*: posse enim sub *publico* bono intelligi & commodum imperantis, & sub *multis* latere divites quoque in Oligarchiâ: (4.) in aliis mutato quasi per inscitiam definito, pro rectâ ipsissimam & solam pravam definierit, ut maximè, cum ait, Rationem Statûs esse *privilegium Principis, quo in sui tutelam juri communi derogari possit.*

VIII. *Ludovicus Zuccolus* (1.) Rationem Statûs quâ talem, h. e. in genere conceptam præscindit ab honesto pariter & inhonesto; (c) ipsam verò (2.) ait esse *artem* quandam vel *facultatem* (d) Politicæ per modum partis aut membri subjectam (e) circa media cujuslibet Reip. formæ respondentia (f): porrò (3.) cum Rerump. aliæ rectæ sint, aliæ corruptæ, quarum illæ imperantibus

(a) cujus locum debemus Dn. Garmerfio, annot. ad Ludov. Zucc. p. 56. seqq.

(b) excerpit enim è discursibus Amirati sex in universum (quanquam plures isto pacto fortè possint) Rationis Statûs definitiones, quas apud Dn. Garmerfium vide p. 55. sed contrahitamen omnes videntur posse in illas duas, quas th. IV. delineavimus. (c) p. 25. ex vers. Dn. Garmerfii. (d) p. 14. 16. (e) p. 4. 21. 26. (f) p. 6. 14. 16. 41.



perantibus æquè ac subditis cōsulant (g), hæc magis imperantium commoda promoveant (h): hinc Rationem quoque Statûs aliam rectam esse, quæ rectis, aliam pravam, quæ depravatis Rebus, congruat (i), & (4.) illam quidem legibus consentire (k), hanc autem easdem pessundare potius & conculcare (l). Secundum hæc (5.) peccavisse censet Amiratam, quod omnem indifferenter Statûs Rationem & repugnantem legibus fecerit (m), & (6.) nihilominus honesto *juris* vocabulo dignatus fuerit (n). Enimverò (7.) posse dari Leges de rebus ad ipsam quoque Rationem Statûs pertinentibus, quales illæ fuerint Romanorum, ne Dictatura sextum excederet mensem, ut Tribunus plebis inviolabilis haberetur, ut alter Consul plebejus esset, atque aliæ (o): qui verò (8.) nominis honesti velamine rem etiam pravam obtegat, eum auribus hoc malorum Principium dare videri (p).

IX. Quæ Ludovicus Septalius (q) in Amirato carpit, hæc sunt ferè: negat (1.) Rationem Statûs juri naturæ, civili, bellico, & gentium, quasi generis ejusdem speciebus rectè opponi, cum nomen generis non competat in Rationem Statûs, ut quæ non *Legem* certam seu *Jus* designet, sed quid aliud: vel ipsius maxime Amirati iudicio, volentis eam esse *Legis derogationem*. Negat (2.) sic aptè definiri, quandoquidem nec omnis Ratio Statûs legem violet: ut (3.) illa, quæ Romulus asylum posuit, & (4.) in genere quævis recta:

B

nec

(g) p. 11. 33. 35. (h) p. 27. (i) p. 9. & 25. (k) p. 30. (l) p. 27. 29. (m) p. 6. (n) p. 42. (o) p. 5. (p) p. 26. 42. (q) lib. I. de R. S. c. 4. p. 20. 21. 22. ubi vide & annot. Da. Garmerii p. 461.



nec (s.) Omnis Legum publici boni causâ transgressio statim Ratio sit Statûs appellanda, ut si privatus aliquis adulterio cum Uxore Tyranni pro medio utatur evertendæ Tyrannidis.

X. *Arnoldum Clapmarium* illud maximè offendisse videtur, quòd Amiratus, cum naturale jus à civili, hoc à militari, militare à jure gentium, & in his adeò quòdcunq; antecedens à sequente limitari dixisset, postulante ratione, ut ab his juribus ad *Jus Dominationis* seu Rationem Statûs tanquàm ad altiorem gradum progressus, à Jure dominationis restringi diceret *jus gentium*, (hoc enim proximè antecesserat:) pro jure hoc gentium *Civile*, quòd à militari jam corrigi fecisset, novam, à Jure Dominationis correctionem subire jufferit. Hunc ergò *Climacem* Amirati, cum cætera sic satis placerent, sola displiceret graduum *civili*, in faciem concinniore[m] sic reformavit Clapmarius: *sicut, inquit (r) jus natura corrigitur à jure gentium, jus gentium à jure militari, jus militare à jure legationis (s), jure legationis à jure Civili: ita hoc jure civile iterum corrigitur sibi quò veluti frenum injici patitur à jure, quòd appello Regni sive Dominationis. Atq; hanc Gradationem Clapmarii video se approbasse etiã Boxht).*

(r) lib. IV. de Arcan. c. I. sub fin. (s) observa obiter, Clapmario secus atque Amirato jus *Legationis* à jure *Gentium* distinctum esse. Quâ ratione inter utrumque Scriptorem hoc etiã dissidium intercedet, quòd Amiratus à jure Naturali usque ad jus dominationis non plures quinque, Clapmarius verò sex gradûs numerat. (r) lib. I. Inst. Polit. c. 6. §. 6. p. 97. Cæterum, quòd addit Boxhornius, *parem assensum non mereri, quòd adjiciatur, juri dominationis omnia cedere jura, id quidem apud Clapmarius ibi non reperio.*



XI. Hæ ergo doctissimorum hominum sunt accusaciones. Quæ ubi publicè proflare cœperunt, vicissim eandem sunt aleam expertæ. Scipioni certè Claromontio (u) *Fridericus Bonaventura* minùs feliciter Amirati sententias explosisse visus est. Nobis de Claromontio, cujus hoc in argumento scriptum non vidimus, pronunciate non est integrum. De cæteris, ipsoque Amirato, pro Academico jure liberum, & nulli obnoxium parti, pro more nostro remotum à cavillis feremus judiciũ, paria nobis ab æquo disputatore polliciti.

XII. Ante omnia inquirendum est in sensum definiti, ne damnemus Amirati definitionem, priusquam primam ejus vocem intellexerimus. Quæ cum magnæ sit æquivocationi exposita, remove hanc oportet prius. Tempestiva enim planè ac necessaria nobis hîc videtur admonitio *Bonaventura* (x) postulantis, ut in definiendo incipiamus à distinctione ambigui.

XIII. *Ratio Status* duo vocabula sunt, alterum recto casu positum, alterum obliquo. De obliquo nulla est magnoperè difficultas. Tametsi enim *Status* formam quoque rei domesticæ seu privatæ complecti potest: (quis enim neget, esse & huic suum statum ex *Oeconomica* prudentiæ præceptis (y) administrabilem?) *Politici* tamen scriptores magno consensu ad rei tantum *publicæ* formam hoc vocis pertraxerunt. Et huc refero quòd Amiratus (z) negat, Statum aliud quid esse, quàm

B 2

Regnum

(u) teste ad Zuccolum p. 56. Dn. Garmerfio, qui lectori judicium relinquit. (x) supra thesi VIII. puncto 2. (y) unde Clapmarius lib. I. c. 8. agnoscit etiam *arcana privata*, h. e. intima consilia communis privatæq; vitæ in luce hominum feliciter & decorè instituendæ. (z) p. 341.



Rēgnū vel imperiū: quōd item Septalius (a) abnuit  
Rationem Statūs cadere in privatū. Ergō Ratio Statūs  
quōd ad obliquū casū attinet, nihil aliud est, quā  
Ratio quādam *circa formam Reip.* puta constituē-  
dā, conservandā, augendā.

XIV. At verō, si quæras, quid igitur hīc sit Ratio?  
quā promptum est responderē de mente *Zuccoli &  
Septalii*; dum enim Rationem Statūs constanter hī fa-  
ciunt prudentiæ Politicæ partem (b), in eo satis osten-  
dunt, se vocabulū Rationis usurpare pro certo  
*habitu intellectuāli*: tam difficile est *Amiratis* senten-  
tiam aperire. Cū enim Rationi Statūs det synonyma  
non modō *sapientiam* regnandi, quæ habitus est, sed  
etiam *Jus* dominationis (c), quōd nihil minus est quā  
habitus, in eā quidem Synonymiā necesse est crucem  
figi Lectori.

XV. Audemus tamen pronūciare Rationem  
Statūs *Jus* illi potius fuisse, quā Habitū. Nec e-  
nim illā cū Habitibus, sed cū Juribus aliis tanquā  
affinibus speciebus contendit (d), & in toto discursu  
Rationem Statūs intelligi volens, nihil aliud in calamo  
habet, quā jus regnandi (e), jus dominandi (f), jus  
imperandi (g), jus imperativū (h), legem regnativā  
(i), & similia. XVI.

(a) lib. 1. c. 4. p. 21. vide suprà th. IX. 5. (b) de Zuccolo vide  
suprà th. VIII. 2. Septalii mentem detegunt lib. I. de R. S.  
c. 2. in fin. c. 3. p. 18. & c. 8. p. 33. qvī Definitionem ipsam p.  
seq. sic orditur: *Erit itaq; Ratio Statūs habitus Intellectus  
Practicus, qvī dicitur Prudentia vel Sagacitas.* Zuccolus Ar-  
tis & Facultatis hīc voculis uti maluit. Uterq; distingvit  
Rationē Statūs (ut multi Logicā,) in docentē & utentē,  
Zuccolo p. 14. Septalio lib. I. c. 1. c) th. IV. 1. (d) th. IV. 2. 3. 4.  
(e) p. 326. 335. (f) p. 326. 329. (g) p. 329. 331. (h) p. 335 (i) ibid.



XVI. Verùm hìc nõva emergit obscuritas. *Juris* vocabulum designare potest, ut alia mittamus, res duas distinctissimas, *potestatem*, (sive, ut Grotius appellat, hujus distinctionis cautissimus observator (k), facultatem moralem) personæ competentem ad aliquid justè habendum vel agendum; & *legem*, h. e. regulam actuum moralium, obligantem ad id quod rectum est. Hæc duo confundens Amiratus pro eodem habuit. Modò enim ex Ratione Statûs *Legem* facit, dum illi Jus naturale, civile, gentium, quæ Leges sunt utiq; ceu species ejusdem generis comparat; modò *potestatem*, dum eam definit privilegiûm Principi concessum (l). Privilegium enim alicui dare, quid aliud est, quàm excipere aliquem à Lege, alios communiter obligante, h. e. dare illi potestatem justè quid agendi vel habendi, si velit, etiam contra illam legem?

XVII. Quamquam autem maximè placet nobis, ut Ratio Statûs notet *consilium* (m), h. e. rem à Lege pa-

B 3

riter

(k) lib. I de I. B. c. I. §. 4. & 9. (l) lege in primis ipsum Amiratum, ubi p. 340. 341. inter alia sic loquitur: *Summâ igitur ratione hoc subsistit, ut Ratio Statûs quoddam Principis privilegium sit, quia si Principes privatis privilegia concedunt, vicissim decorum videtur, ut scilicet ipsis Remp. representantibus totidem pluraq; privati largiantur.* (m) Consilii vox ipsi etiam Amirato excidit p. 329. in exemplo Augusti; nec obscure ad consilium alludit, cum p. 341. Rationem Statûs definit boni publici *curam*. Pro consilio accepit Jus dominationis & Clapmarius lib. IV. c. 3. cum ait: *Sanè sunt hæc jura dominationis occulta consilia atque privilegia salutis principum rerumque publicarum conservanda.* Verùm hìc mallem ingeniosissimus scriptor *consilia & privilegia* distraxisset, neq;



riter & potestate diversam (n), citius tamen feremus  
eā sub schemate *potestatis*, quam sub *legis* produci, &  
hactenus assentiamur *Septalio* (o) indignanti, quod e-  
am cum jure naturali ac cæteris tanquam speciem ali-  
quam Legis numeravisset Amiratus. Enimverò cum  
juxta *Rationem Statūs* aliquid fecisse Princeps dicitur,  
sensus est, id eum fecisse juxta *consilium*, h. e. dicta-  
men rationis, circa bonum scil. publicum: nec longè  
abit Itatorum *Ragionamento* di stato. Hoc autem ma-  
gis est, ut hanc etiam interpretationem admittat, fecisse  
id juxta *potestatem*, quam fecisse juxta *legem*. Obli-  
gari enim propriè, quod à Lege est, non poterat; po-  
testatem suam exercere sic poterat.

XVIII. Igitur & Itatorum *giusto di Stato*, vel *ra-  
gione di dominio* commodè exaudietur de potestate.  
Planè autem sic exponi postulat hic locus Amirati (p)  
*Tunc aliquid jure dominandi* (h. e. potestate, quæ inter  
homines summa est) *factum dicetur, ubi nullum ex  
dictis*

res duas adeò distantes unius generis in definiendo vi-  
cem subire jussisset; præsertim qui mox eodem in capite  
*subtilitatis* apertam esset professionem factururus. Sed e-  
jus Autoris definitiones ac divisiones ad limam voca-  
re instituti præsentis non est.

(n) Differt *consilium* à *Lege*, quia tametsi utrumque  
dictamen est rectæ rationis practicæ, vim tamen obli-  
gandi *consilium* non habet, *Lex* habet; à *Potestate*, quia  
hæc in genere potentiarum, *cōsilium* in genere actuum  
est. Quanquam autem solemus actuum vocabula  
transferre ad suas potentias; aliud tamen est potentia  
seu habitus consulendi, ad quem non malè vocem *Ra-  
tionis status* transtulit *Septalius*: aliud potestas licitè  
quæ velis agendi. (o) th. IX. 1. (p) p. 328.



*dictis juribus* (puta civilibus) *allegari potest*. Neq; commodius, opinor, defendere licebit ejus definitiones, quam si dicamus definitam esse ab eo imperantium potestatem inter homines summam, h, e, ut uno verbo rem eloquamur, *Majestatem*.

XIX. Equidem aliud est Politicis *Majestas*, aliud *Ratio Statûs*. Sed Amiratus certè pro Ratione Statûs Majestatem definivit nobis. Quod sive *inopinanti* evenerit præ Logices imperitiâ, cujus eum synonymorum illa confusio (q), & neglectus prosequendæ homonymiæ (r) suspectum reddit; sive *scienti*, & popularem terminos usurpandi pro arbitrio licentiam (s) exercere volenti, cupimus ipsi condonatum. Neq; enim alium in finem hucusq; laboravimus, quàm ut mentem

(q) dum pro synonymis habet *sapientiam regnandi*, & *jus dominationis*, th. IV. I. Quæ idem esse quidem possunt subjecto, diversissima profectò sunt formis. Putes autem, ut Rm. S. cum Jure dominandi, seu potestate imperii confunderet Amirato, sic evenisse: R. S. *consilium* est propriè. Consilio magna cum *lege* affinitas. Legem autem *jus* quoque vocare mos est. Jus præter legem designat & *potestatem*. Sic ergò pro Re. S. potestatem videre potuit incautior oculus. (r) th. VII. I. (s) Hæc licentia, ubi jam vel plurimi, vel sapientissimi eruditorum in termini alicujus certam, cuiq; nulla se opponat urgens ratio, notionem consensere, *laudari* vix potest: cum vel inscitiam arguat, vel terere consuetam semitam nolentis fastum. At verò in argumento præsentis *veniam* hæc libertas meretur. *Ratio* enim *Statûs*, quo accuratè sensu exaudiri debeat, nondum puto inter eruditos convenire. Quorum nemo propè manum definitioni admoveret, quin peculiarem.



tem ejus penitissimè videremus. Quà in reminus ope-  
ræ posuisse nobis Bonaventura & Ludovici duo vi-  
dentur, dum suo quisq; sensui magis, quàm Amirati,  
attentus est.

XX. Condonemus etiam, quòd Amiratus in  
Majestate confudit, (saltem si res è verbis nudis æsti-  
metur,) *actum primum* cum *secundo*, h. e. potentiam  
cum ipsius exercitio. Definiturus (t) enim Rationem  
Statûs semel dixit eam esse privilegium, quo *possit* Prin-  
ceps *derogare*, juri, quod potentiaè est: iterum, esse  
*derogationem* ipsam juris, quod exercitii. Verùm ut  
per nos ipse sibi magis constet, idemq; dicat in utraq;  
definitione, *derogationem* interpretemur potentiam  
derogandi. Neq; enim insolens est, ut actuum voca-  
bula transferantur ad suas potentias.

XXI. Antequam ad definitionem ipsam venia-  
mus, duæ sunt adhuc distinctiones expediendæ, quæ  
Rationi Statûs applicari possunt sive habitum eam cum  
Zuccolo & Septalio, sive potestatem cum Amirato es-  
se jussis, dum observes modò, eas in habitûs potesta-  
tisve *exercitio* maximè conspicuas reddi.

XXII. *Primò*, Ratio Statûs vel recta est *morali-  
ter* vel prava. *Recta*, si habitu intellectûs vel potestate  
*morali* utaris cû virtute; *Prava*, si abutaris cum flagitio.  
Utum ab abusu nihil certius distingvit, quàm *honestat-  
is* regula. Quæ ubi salva est, rectitudine, ubi violatur,  
pravi-

in definito sensum effingat sibi. Nos hîc in solo Amira-  
to & ejus censoribus occupati sumus, & abundare ha-  
ctenus suo quemque sensu, dum eum rectè teneamus,  
facile patimur. (t) th. IV. 3.



pravitate moram Rationem Status imbuunt. Minus accurate Bonaventura (u) & Zuccolus (x) discrimina hæc metiuntur ex commodis imperantium ac subditorum, vel differentiis Reip. rectæ & aberrantis, nisi per aberrantem flagitiosissima Despotia intelligatur. Nam & imperantis commodum justum esse potest: nec omnis absq; exceptione Dominatio (ut in populum ex delicto libertate personali exui promeritum) ilicò est injusta, Quid quod obvenire casus potest, (quemadmodum apud Romanos olim) ut publicè expediat, uni potius domino servire, quàm perpetuò luctari cum civilibus discordiis (y) ?

XXIII. Solius *rectæ* definiendæ curam seriò habuisse Amiratum, non malè auguratus est Bonaventura (z). Nam Zuccolum, qui putat (a), cum hoc vocabuli sumfisse cum indifferentiâ honesti & inhonesti, adeoq; indignatur, rem etiam inhonestam honesto Juris titulo laudatam fuisse, non ausculto. Solam rectam Rm. S. Amirato in animo fuisse, luculentissimè probaveris ex eo, quia subjicit illam Juri divino & honestati (b). Quamobrem se jungit eam quoq; à flagitiis dominationis, & hæc *malam* rationē status interpretatur (c). Juxtà hæc ergò exponemus & illam definitionem (d), quâ Rationem Status dicit esse privilegium Principis, quo *juri communi* (positivo quod neminem finit absq; ordinario processu damnari,) *ad sui tutelam contra majestatis reos* (adeoq; turbatores boni publici, & eos

(u) th. VII. 1. (x) th. VIII. 3. (y) vid. Tacit. I. Annal. ab init. (z) th. VII. 2. (a) th. VIII. 5. (b) th. IV. 4. (c) p. 341. *malæ* rationis etiam mentio p. 339. quam & p. 330. nomine *Tyrannidis* à jure dominandi distinguit. (d) dedimus eam th. IV. 3. Quæ dilucidationis causâ hic interjicimus, con-



eos quidē satis compertos) *derogare* ( in casu periculi ac necessitatis) *possit*: ne statim in scitiæ arguam⁹ Autorem cum Bonaventurā (e,) quasi cæco impetu ruentem à contrario sensu definiti ad contrarium.

XXIV. Cæterum in eo, quòd solam rectam Rm. S. definire voluit Amiratus, magis illi favemus, quàm *Zuccolo* [f] & *Septalio* (g) qui ab honesto pariter & inhonesto definitum suum præscindunt. Quòd quàm ægrè, in utente quidem habitu seu potestate, procedat, vel ille Septalii sudor nos doceat, qui cum omnia tentasset, ut in hanc abstractionem evectæ Ri. S. commodum genus reperiret, ipse sibi satisfacere non potuit (h.)

XXV. *Secundò*, ut potestas Dei, sic Ratio Status, quæ in se una sit, ab exercitio tamen distinguitur in *ordinariam* & *extraordinariam*. *Illam* vocamus, quæ in gerendâ Rep. sequitur, hanc, quæ deserit cōmunem atq; ordinariam legem positivam aut consuetudinem. *Extraordinaria*, quòd obiter notes, hoc ipso quòd licitè legem deserit, intelligitur esse à lege absoluta, i. e. in eo genere *summa*.

XXVI. Amiratus *ordinaria soli* (i), *Zuccolus* &

sentanea sunt omnia discursui hanc in rem ipsius Amirati p. 340. (e) th. VII. 4. (f) th. VIII. 1. (g) lib. I. c. 8. p. 33. 34. (h) *Major*, inquit p. 33. *quæ nobis hâc in re creatur, difficultas est in genere inveniendâ. Et postea. Itaque vel perfectâ definitione non poterit definiri, vel separatâ definitione bona pravaq; erunt explicandâ.* (i) Sic enim scribit p. 328. *Neque dicendum est, aliquem Principem jure*



& Septalius *utriq; promiscue* (k) suas definitiones aptaverunt. In quo tametsi neutra pars peccavisse nobis magnoperè videtur, dummodò Lectori de mente cuj9-que satis maturè constet: tamen magis probamus consilium *Zuccoli & Septalii*, quia sufficere putamus ad essentiam rectæ Rs. S. ut ad bonum publicum *apta* reperiantur media; an eadem verò legibus positivis aut moribus consvetis congruant nec ne, nihil referre: nisi quòd rara & insolita, quia hoc ipso notitiam subterfugiunt, nec alibi docentur, peculiaris artis commentario magis indigent.

XXVII. De *Definito* satis. Definitiones ex Amirato duas excerptimus (l), quæ apud Autorem his quidem proferuntur verbis. Una (m): Jus Regnativum sive Ratio Statûs aliud non est, quàm *juris civilis propter publicum beneficium, aut propter majorem aliquem & magis universalem finem derogatio*. Altera (n): Jus imperandi, *Principis est privilegium h. e. ut juri communi ad sui tutelam contra majestatis reos derogare possit.*

XXVIII. De his definitionibus ita sentimus; verbis eas constare non quidem ita selectis, ut accura-

C. 2. rum  
Dominationis est, si alio quopiam ordinario jure id egisse dici potest. (k) Zuccolo enim p. 6. agere per R. S. haud aliud sibi vult, quàm efficere ea, quæ essentia & formæ illius respondent Statûs, quem quispiam sibi proposuit conservandum vel constituendum. Eadem repetit p. 41. Quam sententiam suam quoque facit Septalius lib. I. c. 8 sub initium. Itaq; in horum definitionibus, quas vide apud Zucc. p. 14. 15. apud Sept. p. 34. nullum verbum est, quo R. S. ad solum extraordinarium agendi modum restringatur. (l) th. IV. 2. (m) p. 327. (n) p. 340. (o) huic rei argumento



tum definitorem decebat (o), sed quæ tamen in justam definiti, quale huc usque indagavimus, explicationem, ubi æquus, probeque totius discursus memor interpretis accesserit, quod ad *substantiam* utique *definitionis* attinet, in genere ac differentiâ fitam, non malignè sit abitura.

XXIX. *Generis* locum occupare debebat *potestas*. Hoc voluisse Autorem, cum *privilegium* vocat, quo Princeps *possit* certum aliquid agere, jam supra (p) monuimus, impolitiem simul alterius definitionis corrigentes.

XXX. *Circâ differentiam* ad tria maximè verè tendus animus, quæ sunt: *subjectum*, imperantes in Rep. summi; *finis*, bonum publicum; *forma* supremitas potestatis. Per primum distinguitur R.S. *publica* cōtra *privatam*

est vel illa conceptuum in verbis nudè jacentibus difformitas, cum tamen censendus sit Autor voluisse idem in utraque definitione significare. (p) th. XX. Ubi nota ulterius! in voce Privilegii *latè* acceptâ vim esse significandi non modò potestatem in genere, sed etiam (quatenus includit exemptionem à lege communi) *extraordinariam* in specie. Quod autem Amiratatus alibi statuit, *Jus dominandi rem esse, quæ privilegio opponitur* p. 338. è *strictâ* privilegii notione explicandum est, & ad mentem illorum, qui putant privilegium non esse, nisi concedatur privato, & in usum privatum. Contrà enim Jus dominandi publicis personis, & in usum publicum competit. Satis perspicuè hoc ipse significat Amiratatus. Quanquam in etymo privilegii vox *privi* non *privatos* notat personas in oppositione publicarum, sed *singulos* in universonum, ut è Gellio intelligitur



vatam (q), per secundum *recta* contra pravam (r), per tertium *extraordinaria* contra ordinariam (s). Ad hos autem tres modos restrictum esse definitum Amirati, suis locus docuimus (t).

XXXI. Imperantes in cujusque formæ Rep. summos omnes *Principis* vocabulo complectitur secunda definitio, more Politicis usitato (u). De *Subiecto* igitur ita patet.

XXXII. *Finem* R. S. esse *bonum publicum*, satis declarant verba definitionis primæ, quibus *publici* beneficii mentio continetur: cuius locum in alterâ definitione occupat exemplum ejus, *tutela Principis*. Quod verbum non debebat *Bonaventura* contra mentem Amirati rapere in sinistram partem (x), h. e. interpretari de commodo Principis privato, cum pernicie publicâ conjuncto: multò minùs æquivocationes aucupari in voce boni *publici* aut *multorum* (y). Nam & in *Principis tutela* magna pars boni publici sita est; & *bonum publicum* qui dicit, non solius Principis

C 3 com-

lib. X. c. 20. (q) hoc per se clarum. (r) bonum enim publicum qui absque adjectione nominat, verum, non apparens nominasse censetur. Verum autem non est, nisi mediis honestis partum, (s) repet. th. XXV. (t) th. XIII. XXIII. XXVI. (u) Hoc enim eodem sensu dicimus: *principem* solum esse legibus & talia plura. Quamquam non ignoro, Principis vocabulum alibi quoque aliter sumi. (x) th. VII. 4. (y) ibid. 3. De utilitate *multorum* seu *plurium* locus Amirati est p. 338. Caterum ipse Bonaventura, cum R. S. definirer, cavere non potuit, quin suas illi æquivocationes objiceret Septalius lib. I.



commodum innuere censendus est (z) : nec titulo *multorum* Oligarchas, (quos paucos potius vel in græcâ voce audimus,) sed in partitione civium majorem partem, quæ hoc in casu cæteris paribus jus habet integri, aut ipsam potius multitudinem universam significari ab Amirato facilè videbit, qui locum ejus attento & benigno lustrabit oculo.

XXXIII. *Formam* diximus esse supremi-  
tatem. Quam tamen eandem possident actûs quicunque:  
disimulant ordinarii tamen, *extraordinarii*, h.e. legi  
aut consuetudini repugnantes manifestè produnt.  
Igitur ad hos restrinxit noster suum jus dominationis,  
& *juris civilis seu communis* (tanquam inferioris)  
*derogatione* definivit, cujus exemplum altera definitio  
insinuat in eo, quando *adversus Majestatis reos*  
commune jus, quod absque ordinario processu damna-  
re hominem vetat, in casu necessitatis negligitur, ut an-  
tea (a) explicuimus.

XXXIV. Hic duo notanda veniunt. *Unum*,  
ne juris, cui derogari per Rm.S. queat, vocabulum ex-  
tendamus ad *leges naturæ ut gentium*: nam in has Jus  
dominationis, siquidem à pravitate absit, nihil sibi su-  
mit imperii. Non dissimulo crudè alicubi hâc de re  
loqui Amiratum (b): sed ea cruditas mollienda est par-  
tim è verbis definitionis, ubi nullius juris, præterquam  
*civilis*

c. 6. p. 27. (z) conf. th. XXX. lit. r, (a) th. XXIII.  
(b) p. 330. cum ait: *sicuti ergò omnibus juribus* (ea verò  
in præcedentibus numeraverat quatuor, naturæ, civile,  
belli, gentium,) *præcellit* (jus dominationis) *ita unico*  
*juri divino ut subjiciatur, æquisimum est.* Conf. p. 328. lin.



*civilis* est mentio : partim ex indicio exemplorum (c), quæ qualiacunque singula sint in se, certè ex opinione nostri talia sunt, ut in eorum nullo juris naturæ aut gentium imminutionem profiteatur.

XXXV. *Alterum*, ut juris vocabulum hîc extendamus ad *consuetudines* etiam. Quod ut aliàs min9 est frequens, ita menti scriptoris consentaneum esse, docet exemplum Augusti, meditantis imperium intra terminos coercere. Ubi cum *juris* vocabulum non posset, *consuetudinis* disertè usurpavit noster (d.)

XXXVI. His observatis videamus, quid responderi *Zuccolo* & *Septalio* possit, qui partem hanc definitionis, utpote abhorrentem à sensibus suis (e), maximè oppugnant. *Non in eo consistit R. S.* ait *Zuccolus* (f), *ut legibus adversetur. Nam etiam de rebus ad Rm. S. pertinentibus leges dari possunt.* Benè: sed leges hujusmodi ferre, est præcedentibus vel legibus vel moribus adversari, certè rei ante non validæ valorem dare, ut ipsa *Zuccoli* exempla (g) demonstrare possunt.

XXXVII. *Septalius* multa movet. *Primò*, qui potest R. S. esse jus, si juris est limitatio aut derogatio (h) ? Quasi vero non in hoc ipso posita sit supremitas juris, (sive legem, sive potestatem ea vox notet,) ut inferiori juri limites aut obicem ponat. *Deinde* in *Afello Romuli* negat esse, quod legi civili repugnet (i). Ergò dele-

5. & seqq. (c) th. V. *ceterum quod &c.* (d) p. 329. *Consilium*, inquit, *illud Augusti*, *coercendi intra terminos imperii*, non congruit *Romanorum consuetudini.* (e) ipsi enim Rm. S. abstrahunt ab ordinarîâ & extraordinariâ, th. XXVII. (f) p. 5. (g) th. VIII. 7. (h) th. IX. 1. (i) *ibid.*



deleamus hoc jus ex Amirato, vel tanquam ordinari-  
um, si licitum fuit, vel tanquam illicitum k). *Porrò*  
in bonis ait Rebusp. h. e. per Rm. S. rectam l) ne-  
quaquam violari leges, violari tantum in ma-  
lis m). Quod verum est, si Legum nomine Jus naturæ  
aut gentium exaudias. Sed nos Amiratum de civili-  
bus locutum docuimus. *Deniq;* urget exemplum pri-  
vati, ut patriam liberet, uxorem Tyranni ad inhone-  
stas libidines obnoxiam habentis (n). Huic exemplo  
putat quadrare definitionem Amirati, cum definitum  
repugnet. Sed nego quadrare, tum quia legis *natura-*  
*lis* illa violatio est: tum quia disertè Amiratus in alterâ  
definitione Privilegium illud *Principis* esse voluit, non  
privati.

XXXVIII. Maneamus igitur in sententiâ, non ma-  
lè definitam videri ab Amirato Rm. S. sed acceptam, ut  
supra (o) monstravimus, pro potestate summâ impe-  
rantium in Rep. h. e. pro *Majestate*. Sanè verò *Majesta-*  
*tem* Aristoteles, *Facultatem eminentem* Hugo Groti-  
us, *Dominium eminentis* novissimè Salomon Zapfius,  
viri sapientissimi terminis iisdem definirunt p), quibus  
hîc suam Rm. S. seu Jus Dominationis Amiratus.

XXXIX.

3. (k) Refert Plutarchus in Romulo f. m. 20, eum nec do-  
minis servos, nec nexum æris alieni causâ creditori, nec homi-  
cidas magistratui deditisse. Hæc si vera sunt, atylum illud  
obviam ivit, non *juri civili* quidem, ut vult Amiratus  
p. 328. sed *naturali & gentium*. (l) respice ad th. XXII. m) th.  
IX. vide ipsū Septal p. 21. 22. & conf. Zucc. p. 27. (n) th IX.  
5. (o) th. XVIII. (p) Aristoteli MAJESTAS est τὸ κού-  
ειον τῆς πόλεως, III. Pol. 4. potestas summa, habes formâ,  
civitatis, habes subjectum commune. Finem non adje-



XXXIX. Verum hæc de ipso corpore definitionis  
cupimus intellecta. Non æquè satisfaciunt nobis quæ  
illi Amiratus tanquam fulcra substernit, aut velut imagi-  
nes appingit, h.e. *fundamentum & exempla*. Quæ in  
reid ipsi evenit, quod bonam causam non bene agen-  
tibus.

XL. *Fundamentum* Amirati est: *sex esse Juris*  
*Species*, Naturale, Civile, Bellicum, Gentium, Domina-  
tionis, & Divinum. Ex his alterum subinde altero esse  
superius. Ita evenire, ut Jus Dominationis imperet Ci-  
vili, serviat vicissim Divino (q). Scalæ hujus, quan-  
quam ea speciosa primùm intuenti videri queat, *incon-*  
*cinnitas* jam supra patuit, à *Clapmario* tacitè relecta  
(r). Qvi tamen malè *septimum* Jus Legationis tan-

D  
quam  
cit, sed habemus eum in definitione Grotii lib. I. de J. B.  
c. I. §. 6. FACULTAS EMINENS (confer eam cum  
Dominio eminente Dn. Pufendorffii lib. I. Elem. Jurisp.  
p. 25.) est superior jure vulgari (hæc illa formæ supre-  
mitas est,) utpote communitati (ceu subjecto) competens  
in partes & res partium, boni communis (tanquam finis  
sui) causâ. Confirmiliter Dn. Zapfio Disp. de Dom.  
emin. hab. Tubing. A. 1662. §. 4. DOMINIUM EMI-  
NENS est, potestas publica major in id, quod Reip. subest, ad  
usum publicum. Vel: potestas publica independens auferendi  
vel minuendi jura subditorum ad usum publicum. Item §.  
26. Presupponendum hoc est, omnia ea tendere contra juris  
communis dispositionem hoc ipso, quo proficiscuntur ex emi-  
nente Domini quod est potestas quedam extraordinaria  
in subsidium utilitatis aut necessitatis publica contra jura  
communia aut ordinaria sese exerens. (q) th. IV. 2. 3. 4.  
(r) th. X. Tentemus hîc mentem Clapmarii, quod ipse  
neglexit, in iis quæ mutavit, ex eorum, quæ non muta-  
vit in Amirato, conjecturâ exponere prolatis exemplis.



quam novum interposuit, cum illi gradus alioqui  
*multitudine* peccent potius quam paucitate.

XLII. Enimvero *jus dominationis*, quoniam vel  
ipso Amirato, si sua tueri velit, *potestas* est, (s), non de-  
buit numerum facere cum speciebus Jurium, quæ pro-  
priè essent *Leges* (t). Ne *Jus* quidem *natura* huc per-  
tinet, *sub eâ* quidem *formâ*, quam cogitavit Amirat, quod  
cum significaret (u), ab eo permissam primitus fuisse re-  
rum omnium communionem. *Permissio* enim *propriè*  
*non actio est legis, sed actionis negati* (x) Aliàs, quo-  
modo *Jus naturæ*, cum immutabile sit, potuisset infi-  
mum gradum h. e. mutationi maximè expositum in illâ  
scalâ facere? Tandem *jus bellicum* non decebat à *Jure*  
*gentium* avellere.

XLII. Tribus ita resectis juribus quod in eâ scalâ  
remanet cum opinione receptâ quâ *jus in civile, genti-*  
*tium, & naturale* dividi solet, facilè se conjunget: nisi

quod  
verosimiliora libenter ab aliis auditori. *Jus natura* ini-  
tior bonorum introduxit communionem; hanc sustulit  
*Jus gentium*, ( pro quo *μεγαλόνομος* Amiratus hîc *jus*  
*civile* nominabat ) rerumq; dominia distinxit; sed hæc  
*militari* jure hostibus eripi possunt iterum; verum hîc  
vicissim *jus Legationis* peculiare privilegium donavit  
Legatis; auferendum ab iis tamen denique per *jus civi-*  
*le*, si hostilia tentent. Non obstat huic postremo quod  
Clapmar. lib. I. c. 18. *inviolabiles* ait esse *Legatos etiam ho-*  
*stilia tentantes*. Addit enim, *ut est quorundam sententia*,  
quasi referens eam tantum, non probans. Pari modo  
nos hîc mentem Clapmarii referimus tantum, non pro-  
bamus in omnibus. (s) th. XVIII. (t) th. XVII. (u)  
scribens p. 324. *jure naturæ cuncta nature munera omni-*  
*bus absque distinctione (dominiorum) dispertita esse.* (x)



quòd juris *naturalis* alteram tantum partem, quæ in religione versus Deum occupatur, *divini* juris titulo insignitam pro toto nobis dedit Amiratus. Sed hujus restrictionis pœnitentiam à se ipse exegit, cum veluti sibi contradicens, qui antè (y) *unico juri* divino jus dominationis subjecisset, postea (z) divideret hoc imperium cum æquitate quoque ac justitiâ, h. e. probitate versus homines.

XLIII. Concludamus è dictis, nihil esse, cur definitionem præsentem scalâ sive Amirati, sive Clapmarii fulciamus, præsertim cum ex eâ sequatur absurdum (a), Rm. S. majorem esse jure naturæ, per Clapmarius etiam jure gentium. Satis autem erit, si sic differamus: Imperantes in Rep. summos & plenos ideò posse licite *civilibus* derogare legibus, quia habent easdem condendi potestatem; ideò non posse legibus *natura*, quia nec Deus eas mutare queat (b); ne juribus *gentium* quidem, quia legislatoria eorum potestas non extrâ limites porrigatur sui cujusque imperii.

XLIV. De *exemplis* Amirati, quibus *supremitatem* illustrat juris dominandi (c), quoniam properamus ad finem, erimus breviores. In Clapmarii exemplis nonnullis, (ea verò is ex Amirato ferè sublegerat,) agnosce-

D 2

re

verba sunt H. Grotii lib. 7. de J. B. c. 1. §. 9. (y) p. 330. locum dedimus th. XXXIV. 6. (z) p. 335. *Neque solum jus regnandi, ait, immediatè religioni decedere debet: verum ubi manifesta certaq; æquitati fieret injuria, negamus regnativæ legi tantum auctoritatis competere, & c.* Clapmarius hæc duo sepimenta vocat, religionem & Fidem, lib. IV. c. 4. (a) vi regulæ: *Major majore est etiam major minore.* (b) Grot. lib. I. de I. B. c. 1. §. 10. (c) th. V.



re se *flagitium* potius quam jus dominandi ait Boxhornius (d). Nobis verò talia sunt, Matrimonium Claudii cum filiâ fratris, Romuli asylum (e), raptus Sabinarum (f), fortasse & negata denuò nubendi potestas Agrippinæ, si flammæ cupidinis vincere non potuit. Nec enim in his *civilium* legum, nisi vocabulis ludamus, limitationem cum Amirato, sed *naturalium divinorumve* transgressionem videmur deprehendere. In cæteris duobus exemplis litem illi non intendemus.

XLV. *Summa disputationis nostræ* est, Amiratū pro Ratione Statūs Majestatem definiisse; definiisse autem, si verborum illi condones incuriam, sic satis quidem benè; sed bonæ definitioni nec fundamentum firmum subjecisse, & exempla pleraque non satis idonea quæsiisse.

lit. q. r. s. (d) lib. 1. Inst. Polit. c. 6. §. 11. p. 100. Videndus & Dn. Christf. Sagittar. observ. ad lib. IV. Clapm. c. 7. 8. (e) de quo supra th. XXXVIII. lit. k. (f) cui tamen sunt, qui patrocinentur, rectius opinor, accusantibus aliis. Tractant hanc controversiam Augustin. II. de Civ. Dei. 17. Grot. II. de I. B. 2. §. 21. & ibi Dn. Bæcl. p. 87. Clapm. lib. II. c. 7 & ibi Dn. Sagitt. Boxhorn. explan. Inst. Pol. p. 106. Rupert. ad Flor. p. 57.

DE Ratione Statūs docto BROSICKIUS ore  
Differit; hinc abeat nunc comitante DEO.

*Amico fraterno amore colendo*

*f.*  
SIGISMUNDUS CASIMIRUS,  
Comes Lynariæ.

F I N I S.



DD A 6358

ULB Halle 3  
002 920 387




Sb.

Reho ✓ 1077

512








...  
...  
...  
...  
...  
**P**...  
...  
...  
...  
...







EXERCITATIO POLITICA  
*De*  
**Ratione Status,**  
Definitionem ejus  
à Scipione Amirato propositam

expedens:

*De cuius Thesis*

Indultu Ampl. Fac. Philosophicæ

P R Æ S I D E

**M. JACOBO THOMASIO,**

Oratoriæ Prof. Publ.

*respondebit publicè*

**HEYNO FRIDERICUS à BRÖSIGKE,**

Eq. Misnicus.

*d. 12. Octobr. Anno 1665.*

L I P S I Æ

Typis Colerianis.